



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Theophanes C. 12. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

bilitatem hanc anno M. DC. XXIII. Greg. Pon. Max. Cælitum honoribus condecoravit. Vos quoque qui largo pulmone nequicquam nobiles spiritus spumatis, è viâ cedite; Rusticus noster in cælo etiam reges præit. *Ex actis Canon.*

Si in hac vitâ dolet esse pauperem, & inhonorem, quale est in perpetuâ patriâ de contemptu dolorem, de ignobilitate penam, de nuditate opprobrium sustinere? & tunc addici penis, quando pauper ducitur ad confessum Dei, & dives trahitur ad supplicium punitorum? S. Pet. Chryl. serm. 22.

S. THEOPHANES C. 12. Martij.

PATRIA THEOPHANI urbs regia Constantino-
polis, parentes Isacius & Theodota fuerunt,
è principe ambo familiâ. In locum patris demor-
tui ipse Imperator subijt, trimulumque in aulâ suâ
omnibus disciplinis erudiri fecit. Sed animus
etiam his altiora spectabat. Quare cum nuptias,
matre ita volente, effugere non posset, domum
quidem sponsam deduxit: cæterum cum Hyme-
næus in thalamum se penetrare vellet, clausas fo-
res stratumque non sibi sed virginitati reperit.
Nempe sponsæ persuaserat jam, ut alteris nuptiis
virginitatem conjugio copularet. Id verò graviter
tulit focer, ut qui dulce nepotis nomen amabat.
Igitur velut degenerem à patriâ virtute apud LEONEM
Imperatorem ignaviæ accusavit THEOPHANEM.
Idemque, ni vestigiis Majorum insisteret,
oculos effossurum se minatus, ut vinctum man-
do teneret (nam solitudinem cogitabat) aovis ho-
norum dignitatibus oneravit. Sed mortuo Leone,
cum rectius Irene mulier Imperium administra-
ret, THEOPHANES inter Monachos, conjux inter
Virgines

Virgines velatas se abdidit. Fugit tamen ille Abbatibus honores, ne in alteros scopulos vix subdudam ratem impelleret. Post hæc Synodi Nicænæ pars magna fuit. Sed & Leoni alteri Iconomacho fortiter se opposuit. Neque hic virum aut carceris obsidione aut fame longâ expugnare potuit. Victor igitur THEOPHANES cælum subiit, duxitque in triumpho duo ingentia monstra, Leones duos.

Ex Surio.

Perſpice ô homo quantum valeas, & perpende quantum debeas; ut tandem tibi vilis eſſe deſinas, ut vel per hoc erubescendis ſubiaceſſe vitiis dedigneris dum generoſitatē tuam de Creatoris ac Redēptoris dignitate metiris. S. Maxim. hom. 1. de Reſurr.

S. EUPHRASIA V. 13. Martij.

Nonfacilè ulla alia Virgo splendorem generis ſui ut EUPHRASIA novit æſtimare; quippe quæ alios quantumvis nobiles toros alto animo deſpexit omnes, unum CHRISTI ambitioſa experiri. Fortè in hunc fixum cruci oculos deſixerat; cum ut amor facilè omnia ſibi fingit, quæ ardent, paſſis brachiis amplexum offerri ſibi interpretata illico in crucem involavit, & amatum complexa etiam ipſa, æternùm illi ſuos amores devovit; quin mox futurarum nuptiarum flammæ inter ſacras Virgines accepit. Intereà literæ adſunt à Theodoſio Imp. quem ſanguine contingebat. Is quòd quinquennem Ordinis Senatoriſ Principi viro deſponderat, jubebat nunc in ejus manus venire EUPHRASIAM. Sed pulchrè illa ſe jam in alterius manus veniſſe reſcripſit, nec ex re ſuâ, nec verò ex familiæ dignitate fore, immortalis ſponſo mortalem anteponeſſe. Itaque jam liberè
amori